

DE
IVRE OFFERENDI

EX QVO IN
PRIORVM CREDITORVM LOCVM
SVC CEDIT VR

EXERCITATIO IVRIS CIVILIS ROMANI
SCRIPSIT
ET
ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
AVCTORITATE
P R A E S I D E
D. CHRIST. GOTTL. HAVBOLDO

SUPREMAE CVRIAIE PROVINCIALIS ADSESSORE
ANTIQUITT. IVR. PROF. PVBL. EXTRAORD.

A. D. III. M. APRILIS A. C. cccclxxxix

AD DISPVTANDVM PROPOSIT

FRIDERICVS REINOLDVS WILGENROTH
LIPSIENSIS

L I P S I A E
Ex OFFICINA SAALBACHIA

DE

IARAE OFFERENDI

ET GAVIN

PRIORIA CRESPIONUM LOCACIE

ET GAVIN

EXERCITATIO IANIZ CHILIS ROMANA

ALLEGORICA

ILLUSTRISSIMA MARCOSIANA LIBRARIA ROMANA

ALLEGORICA

D. CHRISTI-GOTTI-HABORDO

SUPERIORIS CULTUS SEPARATIONIS ALLEGORIA

ALLEGORICA

ALLEGORICA

HERCULANAE MARCOSIANAE ALLEGORICA

ALLEGORICA

ALLEGORICA

ALLEGORICA

ALLEGORICA

ALLEGORICA

ALLEGORICA

VIRO

MAGNIFICO EXCELLENTISSIMO

AMPLISSIMO

GEORGIO HENRICO BORZIO

MATHESEOS IN ACADEMIA LIPSIENSIS PRO-
FESSORI PVBLICO ORDINARIO EIVSDEM
ACADEMIAE DECEMVIRO COLLEGII B. MA-
RIAЕ VIRGINIS SENIORI SOCIETATIS
SCIENTIARVM TABLONOVIANAE PRAE-
SIDI ET SOCIETATIS OECONOMICAE
LIPSIENSIS SODALI

PATRONO PIE DEVENERANDO

GEORGIO HENRICO BOZIUS

ATLANTISMO

MAGNICO EXCELSIMO

NIVI

*Dulcissimum laboris qualiscumque, quem tenui huic libello
conscrivendo impendi, fructum retulisse mibi videor, quod
a TVI nominis, VIR MAGNIFICE, inscriptione
quamdam ei commendationem, qua ipse prorsus caret, con-
ciliare licuit. Quemadmodum enim nemo est, cui post pa-
rentes optimos plura vel maiora debeam beneficia, si abs
Te discesserim: ita, ex quo ad hanc aetatem adoleui, a*

qua

qua prima temporis bene collocati specimina solent exspectari, sollicite anquisitui opportunitatem, qua pietatem aduersus TE meam publico aliquo monumento testatam facere, et gratissimi animi sensus coram omnibus declarare possem. Tanta autem TVA, tamque innumerabilita ab ineunte pueritia ad hoc usque tempus in me existant merita, ut vix existimem, posse a me curam, qua parentes fidelissimi, qui TVA consuetudine maxime delectantur, me instituerunt, verius praedicari, quam quod eamdem TVO in me amori aequalem fuisse profitear. Qui enim sponsor testisque mibi adsuisti, quem fidei Christianae nomen darem, idem, ut a tenera aetate menor essem, quid TVIS potissimum auspiciis aliquando proficere possem, ipso die lustrico ciuitate academica me puerum donasti. Quod parum fuisset, nisi prouidentia paternae curae simillima, doctrina praestantissima, et exemplo sanctissimo adolescens

scentem

scentem quoque vita recte vti docuisses. Quid ergo potius
mibi esse potuit, quam ut primi industriae, qua me ad bona-
rum litterarum studia pro virium mearum modulo colenda
instituisti, fructus ad TE pertinerent instar pignoris,
quo de mea aduersus TE pietate atque obseruantia TE
ipsum redderem certiorem? Summum autem Numen ar-
dentissimis precibus imploro, ut TVAE, PATRONE
OPTIME MAXIME, senectuti valetudinem fir-
mam, qua ex aliquo tempore caruisti, mox restituere ve-
lit, TE que ipsum rebus humanis quam diutissime super-
esse iubeat. Sic non solum litterae, quibus a multis inde
annis insigni decori et ornamento fuisti, praesidio cer-
tissimo, sed etiam boni omnes, qui TE ob animi TVI
candorem venerantur, exemplo morum castissimorum pul-
cherrimo, amici denique TVI et clientes solatio dulcissi-
mo, TE viuo atque incolumi, laetabuntur! Ego vero
meae

meae aduersus TE reuerentiae praemium suauissimum tu-
lisse arbitror, si in eodem patrocinio, quo me semper
amplexus es, futurae quoque felicitatis meae spem indu-
bitatam ponere potero.

MAGNIFICI NOMINIS TVI

Lipfiae,

a. d. II. M. April.

A. C. ccccclxxxix

addictissimus cliens

FRIDERICVS REINOLDVS WILGENROTH.

DE
IVRE OFFERENDI

EX QVO IN

PRIORVM CREDITORVM LOCVM

SVC CEDIT VR

CAPVT I.

*Iuris offerendi, quod ad obtainendum priorum creditorum locum
prodest, descriptio generalis.*

§. I.

Proditum est iure Romano tam creditoribus, qui sibi vigilare,
et pignus, multis nominibus obnoxium, soli aut primi certe perse-
qui cupiunt, quam debitoribus, molestiorem creditorem aequioris
pecunia dimissuris, beneficium haud ignobile, quod Doctores so-
lent *ius offerendi* κατ' εζοχην adpellare. Cui quidem signillatim
illustrando quamquam plures interpres operam non contemnen-

A

dam

dam adhibuerunt, e quibus Lud. Morotium ^{a)}, Iac. Andr. Crucius ^{b)}, Henr. de Cocceii ^{c)}, Sam. Fr. Willenbergium ^{d)} et Thom. Siegfr. Ringium ^{e)} nominasse sufficit: tamen in summa, qua hie iuris ciuilis locus laborat, difficultate nobis quoque spicilegium aliquod relictum fuisse, animaduertent ii, qui magis ex limpido-
ritibus artis nostrae fontibus haurire, quam opinionum commentis seruile obsequium praestare adsueuerunt. Quam autem nec temporis nec libelli ratio patiatur, vt etiam forensem insignis huius priuilegii usum examineamus, missis, quibus hodierna iurispruden-
tia aut nunc regitur, aut regenda est, principiis, omnis disputa-
tio nostra ex iure Romano instituetur: quo magis, quae ab initio fuerint eius beneficii caussae, quiae fines, intelligi possit.

§. 2.

Ante omnia vero duplex distingueda est iuris offerendi, circa pignora obuii, significatio. Omnino enim aut *tollendi* aut *confir-
mandi pignoris* gratia competit. Illud exerceatur a debitore ^{f)}, qui, soluto debito, pignus repetit; hoc ab iis, qui in creditorum locum succedere cupiunt. Illud ex natura pignoris sequitur, et per-
petuae iuris rationi conuenit; hoc priuilegii instar est, et a recepta norma diuortium facit. Nobis quidem, successionem creditorum
pignora-

^{a)} Morotius *Tr. de iure offerendi*, adi. *Eiusd. Responis* (Taurin. 1601. 4).

^{b)} Crucius *Tr. de iure offerendi* (Fremae, 1661. 4).

^{c)} de Cocceii *Diff. de iure offe-
rendi*; in *Eiusd. Exercitatu, curiosar.
Vol. I. n. 27.*

^{d)} Willenbergius *Diff. de obla-
tione debiri, a possiore pignorum
facta* (Gedan. 1695).

^{e)} Ringius *Diff. de iure offerendi,
posterioribus hypothesiis contra
priores competente* (Francof. 1700).

^{f)} L. 2. C. de *Partu pign.*

pignoratitorum ex iure offerendi illustraturis, non de priore, sed de posteriore genere sermo erit, quod salvo pignoris vinculo obtinet. Cuius quidem iuris singularis indeoles ut adcurate cognoscatur ac definiatur, necesse est, veluti tabula aliqua describi creditorum pignoratitorum successionem, quae ipsa per ius offerendi maxime adiuuat. Succeditur autem vel in *prioris*, vel in *posterioris* creditoris locum. Aemulatio cum creditore *posteriore* ad nostrum finem non pertinet, nec usquam occurrit, nisi in uno Pauli g) fragmento. Sed tanto frequentior est successio in locum creditoris *prioris*, qui vel *sponte* iure suo cedit, vel *inuitus* dimittitur. Quae duplex succedendi ratio in eo conuenit, ut a posterioribus creditoribus, facto succedentis creditoris superatis, impediri non possit. Quum vero *voluntariae* cessionis natura non ferat, ut ab inuito extorqueatur, nos quidem, de *iuris auxilio*, quo creditori successuro prospectum sit, exposituri, alterum dumtaxat successionis genus, ad obtainendum creditoris adeo nolentis et reluctantis locum utile, illustrabimus. Ex quo sequitar, *duplicem* potissimum esse iuris offerendi vim; ut aduersus inuitum creditorem priorem recte exerceatur, et ut, qui posteriore loco crediderunt, facta oblatione, ab offerente vincantur. Inde *ius offerendi*, in successione creditorum pignoratitorum obuum, videtur definiti potest facultas illa, quorum interest, potioris creditoris pignoratitii privilegium obtainere, eatenus concessa, ut, rite oblat et restituta pecunia, creditorum priorem dimittere et in eiusdem locum, *iuris sui confirmandi gratia*, succedere possint. Quam quidem notionem, ampliorem ea,

A 2

qua

g) Paulus *Lib. II. Sennent. recept.* *thaetus Lib. I. de auctionibus c. 19.*
tit. 13. §. 8. cf. Glossa ad L. II. §. vle. *§. 94. p. 263.*
D. Qui postor. in pign. Ant. Mat-

qua vñi sunt, quotquot ius offerendi data opera explicauerunt, ex ipsis, quae modo praemisimus, successionis pignoratitiae principiis fluere arbitramur: quamquam non negamus, creditoribus hypothecarii secundis illud præ ceteris competere, quatenus hi nec cessione, nec pacto debitoris opus habent ad succedendi facultatem exercendam.

§. 3.

Diversa vero est iuris huius ratio non solum pro diuerso *personarum*, quae eo vti cupiunt, ad debitorem habitu, sed etiam pro modi, quo vñs eiusdem regitur, diuersitate. Omnino enim aut ab eo, qui iam ante successionem suam creditor eiusdem debitoris fuerat, aut ab alio, hac lege, vt antiquioris creditoris praerogativa fruatur, primum credituro, potest exerceri. Qui, antequam ex iure offerendi succederet, in creditorum numero fuerat, aut hypothecarii, aut chirographarii creditoris iure vñs est. Quumque eadem res pluribus possit deinceps obligari, aut secundus *āpētōs* successurus est primo, aut aliis creditor inferior, primi locum subeundo, ius suum confirmare cupit. Si creditor pignoratius, secundo loco constitutus, offert primo, eiusdem locum iure suo statim obtinet, vt proinde nec debitoris consensu, nec ipsis, quem dimissurus est, creditoris cessione opus habeat. Secus succedit creditor remotior. Ut enim primi, cui debitum obtulit, priuilegio potiatur, licet non debitoris voluntate, at cessione tamen iuris, a primo impetranda, indiget. Chirographarius vero creditor, pignoratitii potestatem adsequitur, non solum cessione huiusmodi, sed etiam debitoris consensu, in pignoris obligationem interponendo, opus habet. Idem et in extraneo quoquis, qui hac demum mente crediturus est, vt creditoris pignoratitii, sua

5

fia pecunia dimittendi, locum ipse occupet, videtur obtinere. Reliqui, qui tempore successionis exercendae in creditorum numero nondum fuerant, quales sunt fideiussores, pro debitore creditori pignoratitio solituri, emtores rei obligatae, actione hypothecaria conuenti, quilibet denique eiusdem rei possessores, eodem iudicio excusci, sola cessione iuris, a pignoratitio creditore praestanda, minime autem pacto debitoris indigent, ut, oblatione facta, suum ius conseruent. Ceterum cessionem, ad locum creditoris obtinendum plerumque necessariam, non a cedentis arbitrio pendere, sed iure peti posse, ac non praefitam iudicis sententia pro facta declarari, ex natura auxilii, quod vel inuito creditore primo prodest, intelligitur. Singulas vero huius doctrinae, quam a vulgari iuris offerendi descriptione non parum recedere rerum periti animaduertent, rationes, ex ipsis iuris ciuilis fontibus haustas, suo loco inuestigabimus.

CAPUT. II.

De origine et caussis iuris offerendi.

§. I.

Iam supra diximus, ius offerendi, ad crediti confirmationem idoneum, a recepta iuris ciuilis norma quodammodo recedere. Nam quatenus sine vlo creditoris, in cuius locum succeditur, facto obtinet: eatenus obstant due regulae, ab auctoribus artis nostrae diligenter traditae; altera: obligationum substantiam non in eo consistere, ut aliquid corpus nostrum, aut seruitutem nostram faciat, sed ut alium nobis obstringat ad dandum aliquid,

A 3

vel

vel faciendum, vel praestandum a); altera: id, quod nostrum sit, sine facto nostro ad alium transferri non posse b). Quod vero eius exercitium nonnumquam indiget cessione eiusmodi, ad quam creditor, aliena pecunia dimittendus, cogi possit; id ipsum vehementer aduersari videtur sanctioni a Gordiano A. conditae c), ex qua nulla contra creditorem alienum actio supereft, eo quod ei debitam quantitatem offerens ius obligationis in se transferri desideret. Quae cum ita sint, non defuerunt, qui ius offerendi, creditoribus competens, iniquitatis adcuarent. In quorum numero, vt reliquos taceamus, est Io. Voetius d), hoc potissimum argumento vñus, quod summa prudentia ac prouidentia creditori anteriori quaeſitum pignoris ius in crediti et vñtrarum securitatem, eidem auferretur, atque ita, quo quis feliciter sibi de hypotheca sufficiente prospexit, eo faciliter ab ea per factam a creditore posteriore oblationem depelleretur, non sibi, sed aliis vigilando prospiciens. Nec minor creatur inferioribus creditoribus, quibus eadem res a debitore obligata fuerat, molestia, dum, submoto creditore antiquiore, in cuius locum ipsi successuri fuissent, nisi nouus inopinato se ingessisset, spe pignus dudum quaeſitum vtiliter tandem persequendi protinus frustrantur. Adcedit, quod debitor, cui chirographarius vel extraneus hac lege pecuniam credidit, vt dimitti creditoris pignoratitii locum fortiretur, promittendo pignoris, in creditoris gratiam constituti, translatiōnem,

a) L. 3. pr. D. de O. et A.

b) L. 11. D. de R. I.

c) L. 5. C. de Salut. et liber.

d) Voetius Comment. ad tit. D.

Qui potior. in pign. §. 35. Tom. I.

p. m. 732.

alienum dominium inuidere, et ius, quod ipse numquam habuit, alteri cedere videtur. Quae quidem iniquitatis argumenta, ut statim adparebit, non multo speciosiora sunt reprehensione temeritatis, quam incurrire videtur creditor, offerendi potestate vius, quod pecunia, per litium ambages deum repetenda, locum alienum redimere, et incertae iudicij fortunae numeros certos committere non dubitet.

Quam egregie autem pignorum indeli, iure Romano definitae, et vniuersae eiusdem iuris rationi creditorum auxilium, de quo loquimur, conueniat, nostrum nunc erit confirmare. Quamquam enim iam Sim. a Groenewegen e), Voetius f), Vlr. Huberus g), Eberh. Berghoff b), I. T. Wordenhoff i), Paull. Frid. Birkner k), Gust. Bern. Beermannus l) ac huperrime Ern. Gottl. Meinhof m), Vir Illustris, causas huius legislationis aperuerunt:

e) a Groenewegen *Tr. de Legibus abrogatis et inuisatis p. m. 702.* novo *Differenti. iuridd. in Acad. Belg. habitar. Vol. I. T. II. p. 744.*

f) Voetius *L. L.*

g) Huberus *Praelection. iur. ciu. ad tit. D. Qui postior, in pign. §. 27. Tom. III. p. m. 1063. sq.*

b) Berghoff *Diss. de successione hypothecaria* (Götting. 1744) §. 39.

i) Wordenhoff *Diss. de concursu et collusione viriusque hypothecar. cum generalis, tum specialis* (Traj. ad Rh. 1752.) §. 19. in Oelrichs *Thes.*

k) Birkner *Diss. sistens praecipua commoda ex iure offerendi creditoribus hypothecariis secundis aduersus priores competenzia* (Altorf. 1780.) §. 9.

l) Beermannus *Diss. de successione creditororis in alterius et suum ipsius locum* (Götting. 1781.) §. 7.

m) Meinhof *Diss. Observaciones quasdam iuris Germanici et Saxonici continens* (Viteb. 1791.) Obs. 3.

tamen et nostrae qualicumque operae aliquid relictum fuisse, intelligent lectorum ii, quibus ipsas virorum doctissimorum, quos laudauimus, obseruationes adire placuerit. Videntur vero Romani, quod ante omnia monendum ducimus, in ordinandis creditorum pignoratiorum iuribus ac priuilegiis non tam eo respexisse, ut hominibus locupletibus copiam facerent pecuniae mutuatitiae tuto collocandae, remque foenebrem legibus in gratiam foeneratorum, fortem certis nominibus creditam aegre recipientium, latis adiuvarent, quam potius, ut creditoribus, in ipso credito iam periclitantibus, praesentem opem ferrent. Quam ob rem admodum facies fuerunt in admittendis solutionibus pro debitore factis, quasi magis interesset creditoris, suum recipere, quam vinculum contractae obligationis retinere. Cuius instituti argumentum certissimum peti posse statuimus a fisci priuilegio, ad quemlibet, qui soluit pro debitore fiscali, etiam citra pactum debitoris, omnino transeunte n.). Ita enim homines inuitantur ad debita aliena, quae apud fiscum contracta sunt, promptius dissoluenda, quo citius idem a sollicitudine non minimum exigendorum liberetur: quod profecto non latura fuisset legislatorum Romanorum sollertia in audiendis maxime fisci priuilegiis conspicua, nisi consultius duxissent creditori per solutionem prospici, quam incertum crediti ius conservari. Quae quam ita sint, dimissis creditoribus tantum abest ut iniuriam fieri Romani existimauerint, ut potius in solutione sibi visi faerint inuenisse finem difficultatum ac periculi litium optatissimum.

§. 3.

n) L. 3. et L. vlt. C. de Priuileg. fisci. L. 2. C. de His, qui in prior credit. loc. succ.

Quod vero secundis potissimum creditoribus pignoratitiis indulatum est offerendi ius, multipli ratione necessarium fuit, et aequitati consentaneum. Primum enim constat, non licuisse creditoribus posterioribus ad pignoris distractionem prouocare, nisi submoto creditore antiquiore, vtpote qui solus ac praeceteris vendendi pignoris facultate gauderet *o*). Submoueri autem non poterat prior, nisi eidem solutione, aut, quae vim solutionis haberet, oblatione ac depositione integrae quantitatis debitae esset satisfactum *p*). Nolente enim priore creditore pecuniam adcipere, recte pronunciabant Iurisconsulti inutilem esse actionem hypothecariam, quum per eum factum sit, ne solueretur *q*). Ut vero posteriores creditores pignoris distrahendi potestate consequentur, varias ob causas eorum intererat. Nam quum pignus ita demum esset vtile, si, venditione ob moram debitoris facta, ex pretio inde redacto creditoribus satisficeret *r*): facile euenire poterat, vt creditor prior, collusione cum debitore inita, distractionem pignoris dolo malo differret, et cunctatione sua efficeret, quo minus pecunia debita ad posteriorem creditorem perueniret. Porro poterant inferiores nacti esse opportunitatem, pignus pluris, quam quanti prior creditor venditus fuisset, distrahendi: a qua eos omnimodo repelli, vel debitoris ipsius causa iniquissimum fuisset *s*).

In

o) L. 1. L. 5. D. de Distracc.
pign. L. 8. C. Qui posterior. in pign.

p) d. L. 5. D. er L. 8. C.

q) L. 11. §. vlt. D. Qui posterior.
in pign.

r) §. 1. I. Quib. alien. lic. L 4.
5. 6. et L. 35. pr. D. de Pignor.

act.

s) a. d. L. 6. pr. D. de Pignor.
act.

In primis autem pacta, quae pignorum obligationi adcedere solebant, suadere poterant creditoribus posterioribus, ut de distrahendi facultate, priori competente, in se transferenda solliciti essent. Etenim si creditor antiquior pacto de pignore vendendo ius suum munivisset ¹⁾, non dubitabatur, etiam in posteriore creditorem, oblatione facta, hanc potestatem, pacto quaesitam, transire. Quumque utilitas eiusmodi conuentio[n]is in eo potissimum verareetur, ut et citra denunciationis ambages pignus statim distrahi posset, dummodo dies solutionis adiectus esset ^{v)}: recte sibi vigilabat creditor posterior offerendo priori debitum, quo facilius alienandi potestatem ex persona creditoris antiquioris exercere posset, qua suo nomine ob pacti cum priore creditore initi efficaciam, aut plane destitutus, aut aegre v[er]sus fuisse. Quodsi vero inferior creditor cum debitore pactus esset, ne pignus venderetur ^{x)}, multo magis eius intercessio poterat, ius distrahendi pignoris, cuius pleniori exercitio ipse renunciasset, a priori creditore ad se auocare et alieno auxilio efficere, quod sui arbitrii non esset. Quamquam enim talis conuentio non eo valebat, ut a pignoris distractione creditor in perpetuum arceretur: tamen conditionem eius per triplicis denunciationis necessitatem deteriorem factam esse, Vlpianus ^{y)} ipse

^{z)} d. L. 4. D. de Pignor. act. L. 4.
C. cod.

^{v)} d. §. 1. I. Quib. alien. lic. cf.
Iani a Costa Praelector. ad illustriores
quodam titulos locaque selecta iuris
civilis, pag. 300. sqq. Ern. Christ.

Westphalii Versuch einer systemati-

sch[en] Erläuterung der Römischen

Gesetze vom Pfandrechte, Cap. VIII.

§. 205.

^{x)} d. L. 4. et 5. D. de Pignor.

act.

^{y)} d. L. 4.

ipse nos admonet. Quod autem supra tradidimus, non potuisse creditorem posteriorem, antequam prior, rite soluto debito, dimisso esset, ad pignoris venditionem prouocare, vel tunc locum habuit, si posterior creditor adeo pauper esset, ut comparare pecuniam non posset ad offerendum antiquiori. Neque enim fas est, ius prioris creditoris ex posterioris conditione immutari, sicut Ant. Faber *z*), ad quem lectores plane ablegamus, praedictae obseruauit. Quamobrem omnino visum est Iurisconsultis inhumani, inuitum creditorem cogi vendere *a*); nisi, quod interdum admittebatur, per idoneam satisficationem de forte cum usuris ex pretio pignoris venditi creditori antiquiori restituenda, eiusdem securitati plenissime esset consultum *b*). Tunc enim si emtorem invenerit res pignori capta, qui, dimisso priore creditore, superfluum soluere esset paratus, minime dubitatum est, posse ad distractiōnem etiam ex posterioris creditoris voluntate perueniri; quam non videretur deterior conditio antiquioris fieri, suum consequunturi, nec prius ius pignoris dimissuri, quam si ei fuerit satisfactum. Quem cautionis usum quemadmodum ad solum pignus, in causa iudicati captum, pertinuisse, verba Vlpiani: *quamquam non cogatur creditor rem, quam pignori adcepit, distrahere, tamen in iudicati exsequitionem seruatur, ut — admittenda sit — distractio*, clare ostendunt: ita nec Westphalio *c*), satisficationis auxilium generale fuisse et omnibus creditoribus posterioribus patuisse, adfir-

B 2

.manti,

z) Faber de Errorib. Pragmati-
corum Dec. I. Err. 4. §. 4.

b) L. 15. §. 5. D. de Re indic.

a) d. L. 6. pr. D. de Pignor. acr. §. 190, not. 210.

c) Westphalius I. l. Cap. VIII.

manti, nec Hubero ^{d)}), hypothecam a pignore, cui creditor prior incumbat, distinguenti, et ad illius, non vero ad huius distractiōnē a creditore inferiore, qui debitum non obtulisset, potuisse prouocari statuenti, adstipulamur.

§. 4.

Non magis vero licebat creditori posteriori, impedire pignoris alienationem, quam prior creditor intendebat, nisi et ipse offrendo hunc interpellaret ^{e)}; quam quidem *alteram* iuris nostri introducendi causam fuisse, non temere coniicimus. Quum enim per pignoris distractiōnē a creditore priore legitime factam ius ceterorum, quibus eadem res esset obligata, plane expiraret ^{f)}: non poterat creditor posterior aequo animo ferre factum antiquioris, quo ipse omni creditū securitate priuaretur. Praeterea constat, pignora apud Romanos, si a praetorio aut iudiciali discesseris, nudo pacto, aut contractu priuatim inito, non publica auctoritate, nec praeuia rei obligatae aestimatione, contrahi consueuisse: qua ratione sane evenire potuit, vt, distracto per primum creditorem pignore, parum aut nihil de pretio ad secundum perueniret. Neque enim usquam modum definitum legimus, ultra quem pignora obligari iure Romano nefas esset: sed, si qua res esset pluribus pignori data, illud semper conuentione creditoris inferioris visum est contineri, quod excederet priorem obligationem, licet ex-

presse

^{d)} Huberus *I. I. §. 27. Tom. II.*
p. 1064.

^{e)} *L. vlt. C. Si antiqu. credit.*

^{f)} *L. 3. pr. D. de Distract.
pign. L. 18. C. cod. L. 6. C. Qui
postor. in pign. L. 1. C. Si antiqu.
credit.*

presse caustum non fuerit, cuius esse oporteret id, quod pluris futurum esset, aut solidum, quam primo debito res liberata fuerit g). Quodsi denique, creditor antiquior rem vellet minoris vendere, quam quanti alio tempore eadē fuisse venitura: cum maxime intererat creditoris secundū, imminentem distractionem, ex qua parum aut nihil ad se pertinuerunt esse praevideret, tamdiu impedit, donec ipse meliorem emtorem inuenisset: sicut supra obseruauimus, creditorem inferiorem, qui opportunitatem pignus pluris, quam quanti prior vendituras fuisse, alienandi vere nactus esset, oblata priori pecunia credita, in eiusdem locum aequissima ratione successisse b).

§. 5.

Tertia superest successionis ex iure offerendi causa, antiquiori legum Romanarum disciplinae propria, quam in vsu legis commissoriae, pignoribus olim recte additae, nobis visi fumus reperisse. Neque enim dubitamus adcedere sententiae Io. Guilielmi van Musschenbroeck i), qui in iuictis argumentis docuit, pactum hoc tempore Iurisconsultorum veterum, quorum in Digestis extant reliquiae, plane fuisse licitum, et pignoratitii contractus indolentis tantum, donec primum editio Constantini M. ita reprobaretur, ut Tribonianus vestigia eius, in Pandectarum fragmentis abuia, delenda esse censuerit. Quae cum ita sint, quis non vi-

sigilat, rite officia non sunt, B. 3. q. 1. art. 1. libro 1. habet;

et si deinde quae voluntatis de iuriis q. 1. art. 1. libro 1. habet;

g) L. 15. §. 2. *D. de Pignor. et Lege commissoria in pignore* (Lugd. Bat. 1752.) Cap. II. in Oelrichs hypoth.

b) a. L. 6. pr. D. de Pign. acr. *Theſ. noui Diffr. iurid. Belg.*

i) van Musschenbroeck Spec. de Vol. I. Tom. II. p. 647. fgg.

det, conditionem illam, qua prior creditor sibi prospexit, utat debitoribus egenis quam maxime asperam et molestam, saepe solam auxilium praestitisse creditor i inferiori, offerendi iure usu aduersus antiquorem, ut huius nomine sibi haberet rem oppignoratam, cuius pretium suum creditum, per id, quod priori soluisset, auctum nunc demum exaequaret. Etenim si prior creditor hanc legem ipse exercuisse, (quod impedit secundus non poterat, nisi oblati debito) quae tandem utilitas ex commissione pignore ad inferiorem redundare potuisset? Ac profecto si semel perueniendum esset eo seueritatis, ut debitor ob moram in solutione admissam rei suae dominio exueretur, aequius erat, id addici secundo, qui antiquiori de sua prius pecunia satisfecisset, atque sic duplice nomine debitorem liberari, quam soli creditori primo totum pignus cedere. Quam commissoriac legis ad se transferenda potestatem creditori secundo vel tunc adiuc saluam fuisse, vbi eam prior creditor iam exercuisse, colligimus ex similitudine eius, quod auctore Alexandro k) obtinuit, si emtionis titulo pignore ab antiquiore creditore tenerentur.

Quum igitur, ut docuimus, vniuersa iuris Romani disciplina exigeret successionem creditorum pignoratitorum eiusmodi, quae ab offerendi facultate tota ponderet: non difficile erit, hanc legislationis antiquae partem ab iniuriantis reprehensione vindicare. Postquam enim non debitorum solum, sed, quod supra monujmus,

etiam

k) L. 4. C. Si antiqu. credit.

etiam creditorum causa receptum est, quemlibet posse pro altero soluereⁱ⁾: iniuria non videbatur fieri creditori anteriori suum consequero, nec prius ius pignoris dimisso, quam si ei fuerit satisfactum ^{m)}. Quare non necesse est, defendendi iuris nostri gratia cum vulgo interpretum confugere ad male intellectam aequitatis regulam, a Paulo ⁿ⁾, ut putant, traditam, quia iubetur quilibet facere, quod sibi non noceat, alteri vero pro sit. Quae, sicut Iust. Henn. Boehmerus ^{o)} praelare obseruauit, si vniuersalis foret et ubique applicari posset, quaevis officia humanitatis in necessitatem mutaret, et ius perfectum alteri tribueret. Quemadmodum vero vnicore ex fauore agriculturae repetenda est Pauli doctrina, quam diximus: ita ius offerendi non indiget alienae aequitatis patrocino, sed propriis caussis, iste[m]que iustissimis, n[on]titur. Quae quidem non solum a parte creditoris offerentis ac dimisi, sed etiam a parte creditorum intermediorum, quid quod ipsius debitoris, pignus in alium transferentis, locum inuenire statuimus. Nam intermedii creditores sibi imputare debent, quod, facultate, omnibus aequaliter permitta, non v[er]si, ab ultimo creditore victi sint. Vnde recte negauit Reinh. Bachouius ^{p)} hos de iniuria sibi illata conqueri posse, quippe qui, nisi pecunia soluta fuisset, eodem loco mansissent, et quibus itidem ius sit pecuniam offerendi et pignus suum confir-

mandi.

ⁱ⁾ L. 23. L. 40. L. 53. D. de Solution.

^{o)} Boehmerus *Ex de diverso pignoris et hypothecariorum iure Cap. I. §. 5.* in *Eiusd. Exercit. ad Pandect. Tom.*

^{m)} a. L. 15. §. 5. D. de Re iudic.

^{p)} Bachouius *Lib. IIII. de pignoribus et hypothecis c. 15. §. 2. p. 341.*

ⁿ⁾ L. 2. §. 5. D. de Aqua et aqua.

^{o)} Bachouius *Lib. IIII. de pignoribus et hypothecis c. 15. §. 2. p. 341.*

mandi. Ipse autem debitor, cum novo creditore, cui nullum antea pignoris ius esset, de primi loco pactus, non nocet creditoribus secundis, quibus eadem res fuerat obligata, dum eum, qui non crediturus fuisse, nisi hac lege, ut dimissi creditoris locum obtineret, dumtaxat quoad pecuniam priori solutam, non aequa quoad aliam causam ceteris praefert. Quemadmodum igitur in debitoris potestate est, soluta pecunia priorem ab hypotheca plane depellere, ita multo magis in eius arbitrio erit, alium creditorem in eiusdem locum substituere, dummodo huic non plus indulget, quam quantum in dimissi creditoris iure esset comprehensum. Certe semper integrum erit crediteribus secundis, offerendo creditori novo idem, quod ipse priori soluisset, etiam huius locum sibi vindicare. Illud tamen negare nolumus, ius offerendi creditorum pignoratiorum ipsorum maiori nixum esse aequitate, et toti Romanarum legum disciplinae melius respondisse, quam chirographariorum aut extraneorum potestatem, sua pecunia creditorum pignoratitum dimittendi, quae sic demum defendi potest, ut in opere debitorum, quorum molestiores creditores hac ratione subimouerentur, aut ipsorum creditorum, quibus, amplificata successione pignoratitia, facilis solueretur, causam Romanis potiorem vnam esse creditorum intermediorum, suo loco manentium, commodis, tueamur.

§. 7.

Quae vero beneficii nostri origo fuerit, aut quando in ius civile irrepferit, quamquam certo definire non possumus, tamen

con-

17

coniecturis adsequi conabimur. Quamdui enim, ut a Ger.
Noodtio *q*) et Franc. Car. Conradio *r*) praecclare est obseruatum,
Romani non habuerunt, nisi duo pignorum genera; alterum cuius
custodiae creditores incumberent, alterum, quod fiduciae lege esset
mancipatum: offerenda pecuniae iuri eo sensu, quo id creditoribus
licuit, locus esse non potuit, siquidem ad eius exercitium exi-
gitur, ut eadem res duobus obligari queat. Quod mimine olim
admissum est in pignore, cuius sola custodia naturalis, nullum
vero ius reale penes creditorem esset; sicut nec obligari pluribus
diuerso tempore potuit res fiduciae mancipata, cuius dominium
creditori esset integrum, donec debitor, restituto debito, eam
dem sibi remancipari curauisset. Quare oportet ius nostrum hy-
pothecis esse recentius, aut certe eodem cum iis edicto intro-
ductum, ex quo inualuit, ut etiam sine traditione pignus constitui
posset. Cuius quidem edicti verba, sicut a Noodtio *s*) sunt con-
fecta, ipsa successionis nostrae principia videntur exhibere. Ita
enim vir summus Praetorem putat edixisse: *Quod quis sibi*
pro pecunia debita pignori hypothecaeue obligatum
esse dicet, quod de eo conuenit cum eo, cuius in bonis
erat, nisi arbitrio iudicis ei restituatur, aduersus
eum, qui eam possidebit, quanti ea res erit, iudicium
dabo.

q) Noodtius Lib. II. Obsrvu. c. 7. ciae (Helmst. 1732.) §. 16. et
et 8. Opp. Tom. I. p. m. 272. *fq. et* Ex. II. eiusd. argum. (ibid. 1733.)

Comment. ad Lib. XX. D. Opp. Tom.

§. 16.

II. p. 338.

s) Noodtius Comm. ad D. I. I.

r) Conradi Ex. I. de pacto fidu- p. 338.
C

dabo. Si soluta erit pecunia, aut pro ea satis factum, PERVE CREDITOREM STETIT, QVO MINVS ID FIERET, iudicium non dabo; qua potrema formulae hypothecariae parte quasi incunabula iuris nostri continentur. Quod autem honoraria sanctione introductum fuerat beneficium, deinceps Iurisconsultorum auctoritate, Principumque constitutionibus amplificatum est, certisque finibus descriptum: ita quidem, ut propter naturalem, quam habet ius offerendi creditorum hypothecariorum, aequitatem hoc ipsum antiquius esse videatur eo, quo chirographarii aliquie extranei videntur.

CAP. III.

CAPUT III.

De his, qui iure offerendae pecuniae uti possunt.

et quod medius indecimus autem duplo et triplex et quod non
est duplo sed duplo simpliciter.

Duplex esse pro creditorum, qui eo vtantur, diueritate of-
ferendi ius, iam primo capite obseruauimus. Aut enim, qui il-
lud exerceat, iam antea in creditorum numero fuit, aut primum,
oblata pecunia, creditor esse incipit. Creditorum, qui olim iam
fidem debitoris sequuti fuerant, alii esse possunt hypothecarii, alii
chirographarii. His ius offerendi ab omnibus, quotquot adire
licuit, interpretibus, v. c. a. Iac. Cuiacio a), Franc. Connano b),
Bachouiu c), Io. Sandio d), Crufio e), Voetio f), Noodtio g),
Ringio h), Berghoffio i), Westphalio k), Beemannio l), Car. Christo-
ph. Hofackero m), denique et Meinhofio n), VV. CC. vindica-

C 2 tur,

a) Cuiaciuss Comm. ad L 5. et 9. f) Voetius I. I. §. 34. T. I. p.

C. Qui posterior in pign. et ad tit. C. m. 732.
de His, qui in prior credit. loc. succ. p. m. 77. 82. 86. sqq.

b) Connanus Lib. IIII. Com-
mentarr. iur. ciu. c. 18. p. m. 385.
sqq.

c) Bachouius l. l. Lib. IIII.
c. 17. p. 348. sqq. et Not. et ani-
maduiss. ad Disputationes Hier.
Treutleri, Vol. II. Disp. 24. tbsf.
6. litt. D. p. 279. sqq.

d) a Sande Comm. de actionum
cessione c. 6. §. 61. Opp. p. 23. sqq.
e) Crufius l. l. c. 6. §. 1--9. p.

39. sqq.

172. et 175. p. 253. sqq. et 264.
sqq.

f) Beemannus l. l. §. 17.

m) Hofacker Princip. iur. ciu.
Romano-Germ. Tom. II. P. I. §.

1217. p. 391 sqq.

n) Meinhof l. l. Obs. 3. p. 20.
sqq.

tur, his non item. De qua quaestione quemadmodum infra copiosus disputabimus, ita ante omnia, quatenus creditores hypothecarii offerendi facultate gaudeant, opus est, ut disquiramus. Exstant autem plura legum et Iurisconsultorum veterum testimonia, quibus creditoribus Pignoratiis posterioribus hoc ius aduersus priores expresse tribuitur. Planissimum omnium est rescriptum Imp. Seueri et Antonini o), quo beneficii nostri indoles ita definitur: *qui pignus secundo loco adcepit, ita ius suum confirmare potest, si priori creditori debitam pecuniam soluerit; aut quum obtulisset, isque adipicere noluit, eam obligauit et depositum, nec in usus suos conuerit.* Cui addimus locum Caii p), veram eiusdem beneficii rationem exponentis: *Si paratus est posterior creditor priori creditori soluere, quod ei debetur, videndum est, an competit ei hypothecaria actio, nolente priori creditore pecuniam adipicere?* Et dicimus, priori creditori inutilem esse actionem, quum per eum fiat, ne ei pecunia soluatur. Vnde id perpetuum esse colligimus in offerendi iure, ut etiam in iusto creditore, in cuius locum succeditur, exerceri possit. Ut autem creditor secundus ad usum huius beneficii admittatur, tum de credito ipso, tum de pignoris vinculo, cui res sit obligata, debet constare q). Quam ob causam successuri creditoris est probare, rem non solum tempore, quo de pignore conuenerit, sed etiam tunc, quum solutionem priori obtulerit, in bonis debitoris vere fuisse), licet perinde sit, vtrum ipse offerens,

- o) L. 1. C. Qui postior. in pign. in pign. cf. L. 12. §. 6. et L. 20.
cf. L. 5. 8. et 10. C. eod. L. 22. C. D. eod.
- de Pignor. L. vlt. C. de His, qui in g) v. Crusius l. l. c. 6. §. 26. p.
prior. cred. L. 1. et L. vlt. C. Si 49. Berghoff l. l. §. 30.
- antiquior credit. r) L. 15. §. 1. D. de Pignor.
- p) L. 11. §. vlt. D. Quipotior. L. 6. C. Si aliena res pign. i. L. 2.

offerens possideat; an creditor prior; an neuter ¹⁾, siquidem natura huius beneficii, creditoribus pignoratiis indulti, semper ita fert, vt ab alterutro pignore, aut adeo ab utroque possesso absit: quoniam duobus eadem res non potest, nisi separata reapple possello ne, obligari ²⁾). *Vnde rest^e intulit Crusius* ³⁾, secundum credito rem offerre et in locum prioris succedere posse, non solum si con veniatur actione hypothecaria a primo creditore, sed etiam si ipse agat contra primum creditorem, qui possidet. *Quumque in omni pignore persequendo is sit potior, qui prior est tempore, quod Noodtius* ⁴⁾ *strictius*, sed eleganter docuit: non magis refert; vtrum creditor offerens gaudeat pignore publico, an priuato, expresso, an tacito, generali an speciali; nisi quod excluditur a iure offerendi posterior, cui duplex pignus, generale et speciale est constitutum, si prior vtitur pignore speciali, sed aliam rem adficiente. Tunc enim offerre antiquiori non poterit secundus, nisi excussum prius aut extincta hypotheca, qua ipse sibi prospexerat, speciali, quia sic demum perueniri potest ad generalis pignoris persequutio nem ⁵⁾). Illud vero maxime interest, quo ordine creditor, prior dimissurus, sit constitutus. Nam ipse secundus primo offe-

C 3.

rens,

D. de Pigner. act. et L. 9. §. ult; D.
Qui potior. in pign. cf. Bachouius

Lib. III. de pignor. et hypoth. c.
15. §. I. p. 340.

3) L. II. §. 4. D. Qui potior.
in pign. et ad eam Westphalius I. I.

c. 7. §. 175. nos. 193. p. 265. cf.
Bachouius l. L. c. 17. p. 349 sq.

s) a. L. 3. §. 5. D. de Adquir.

v. amitt. poss. L. 19. pr. D. de Pre-
cario.

v) Crusius *I. I.*: c. 6. §. 4. p. 42.
x) Noodtius *Comm.* ad *D. I. l.*

p. 349.
y) L. 9. C. de Diffract. pign.

L. 2. D. *Qui potior.* in pign. L.
6. C. eod. cf. Ringius l. l. c. 2. §. 5.

11. 2. 1. 1. King's 1. 3. v. 2. S. 5.

rens, quia nullus creditor est intermedius, in eius locum statim succedit, absque villa cessionis aut pacti necessitate, siquidem submoto primo secundus suo iure fit primus, dum alius potior non praecedat. Quare etiam Bachouius^{z)} recte obseruavit, creditorem secundum hoc modo confirmare pignus suum non tantum in summam, quam ipse crediderit debitori, sed etiam in pecuniam, quam priori creditori soluerit; in hanc, quoniam illi succedat; in illam, quia, priori submoto, ipse iam incipiat esse prius. Quae quidem sententia claris legum argumentis ^{a)} potest comprobari. Plane fecus est, si hypothecarius tertius aut quartus soluerit primo. Quamquam enim et hi offerre primo, locumque eius in eo, quod obtulerunt, subire possunt: tamen non solum suum retinent ordinem in eo, quod fibi debetur, ne intermediis creditoribus iniuria fiat (quod Bachouius^{b)} et Connarus^{c)} pridem monuerunt), sed etiam cessione opus habent, qua prioris creditoris ius in ipsos transferatur. Neque enim suo iure primi sunt, sed iure primi dimisi, iam vero nullum ius potest sine facto eius, cuius antea fuerat, in aliud transire^{d)}; itaque nec ad locum primi creditoris inferiores aliter euehuntur, quam paraeuia cessione, cuius tamen, ne offarentes beneficij utilitate plane priuentur, haec est indeles, vt ad eam praestandam creditor dimissus cogi, aut iudicis auctoritate cesso pro facta declarari posset). De qua hypothecarum transla-

^{z)} Bachouius *I. I. c. 17.* *p. 350.* *18. §. 2.* *p. 386.*

^{a)} *L. 12. p. 6. D. Qui potior.* ^{d)} *L. 11. D. de R. L.*

in pign. L. 22. C. de Pignor. ^{e)} *a. L. 19. D. Qui potior.*

^{b)} Bachouius *I. I. Idem Noss. ad* *Treutler. I. I. p. 280.* *in pign. L. 45. §. 9. D. de Iure fisci. L. 5. pr. D. de Cons. L. 11.*

^{c)} Connarus *I. I. Lib. IIII. c. C. de Fideiiff.*

tione quemadmodum, si a Sandio^{f)} et Westphaliog)^{g)} difcesseris; silent fore omnes iuris offerendi interpres: ita Westphalius ipse non ausus est eam, nisi dubitanter adserere. Quamquam vero leges expressam eius mentionem non faciunt: tamen plerumque loquuntur de secundo creditore, qui, quia primo est proximus, cessione non eget; unde argumentum duci nequit ad inferiores, ab intermedii iure superatos, nisi de transferendis dimissi creditoris iuribus solliciti fuerint. Quae quidem cessionis necessitas si iam ad pignoratios successuros spectat, multo magis ad chirographarios et extranios quoquis, pro debitore soluturos, ut pignoris ius potius consequantur, pertinebit. Ceterum, si contentio sit, quis prior aut etiam secundo aut tertio offerat, ut quisque prior est, ita praeferetur alteri; et secundus ante tertium admittitur ad offerendum primo; et sic deinceps; quod et aequitas postulat, et interpretum principes, Connarus^{h)} et Westphaliusⁱ⁾ adgnouerunt.

§. 2.

Ab hypothecariis transsum ad chirographarios, qui iam inter eiusdem debitoris, cuius pignus in se transferre cupiunt, creditores facrant, et ad extraneos quoquis, ea primum lege credituros, ut in dimissi creditoris antiquioris locum succedant. Horum enim param esse conditionem, quum neuter ius in re obligata antea habuerit, manifestum est. Vindicatur autem utriusque creditorum generi po-

testatem

f) a Sande I. l. c. 6. §. 61. p. 23. sq.

h) Connarus I. l. c. 7. §. 172. nos. 195. p. 266.

g) Westphalius I. l. c. 7. §. 172. nos. 189. p. 253.

testatatem offerendi creditoribus pignoratitiis, et in eorumdem priuilegia succedendi, magnam nobis instare sentimus pugnam cum omnibus, quotquot hunc locum illustraverunt, scriptoribus, tam maiorum, quam minorum gentium. Quicunque enim creditoribus pignoratitiis posterioribus beneficium nostrum adserunt, idem chirographariis et extraneis credituris, conspiratione quasi facta, prorsus denegant: in quorum numero sunt, ut praestantiores modo non minemus, Cuiacius^k, Paull. Busius^l, a Sande^m, Crusiusⁿ, Matthaeus^o, Huberus^p, Noodtius^q, Berghoff^r, Westphalius^s et Beermannus^t). Negant autem in chirographarios et extraneos ius Pignoris potioris transire, nisi aut creditor ipsis hypothecam cesserit, aut specialiter pacti sint cum debitore, ut idem pignus eodem loco sibi obligetur, pecunia vero hunc in finem credita ad priorem creditorem reapse peruerenter. Iam, dum sententiam suam hoc modo temperant, intelligi non potest, in quo successio chirographariorum aut extraneorum differat a iure offerendi, quale pignoratitiis communi consensu tribuunt. Etenim, si beneficii nostri, ut supra monuimus, duplex vis est, ut *invito creditore*, in cuius

locum

^k) Cuiacius Comm. ad L. 9. C.
Qui porior. in pign. et ad zir. C. de
His, qui in prior. credit. loc. succ.

^{p. m. 82. et 86. seqq.}

^l) Busius Comm. ad L. 4. D. Qsi
porior. in pign. Tom. II. p. 27.

^m) a Sande l. l. c. 6. §. 67 —

ⁿ) Crusius l. l. c. 6. §. 23. 24.

c. 10. §. 6. 7. et c. 11. §. 31.

^o) Matthaeus l. l. Lib. I. c. 19.
§. 92.

^p) Huber l. l. §. 27. p. 1064.

^q) Noodtius Comm. ad D. l. l.

p. 350.

^r) Berghoff l. l. §. 24.

^s) Westphalius l. l. c. 7. §. 172.

^t) Beermannus l. l. §. 17.

locum succeditur, et *in iuris reliquis creditoribus intermediis*, qui iure successionis in locum primi impetratae superantur; exerceri possit; profecto haec pariter conueniunt creditoribus chirographariis et extraneis, pecunia sua primum pignoratitium dimissuris, ac pignoratitiis ipsis inferioribus. Certe, dum *aut* voluntate primi creditoris, *aut* conventione cum debitore ineunda opus esse aiant chirographariis atque extraneis, eo ipso fatentur, *posse* hos et *in iusto creditoris priori* succedere, dummodo pacti fuerint *cum debitore*. Et eo, quod pacto huiusmodi, siue cum creditore, siue cum debito celebratum fuerit, *iura primi creditoris* transferri in paciscentem concedunt, indicant, superari a paciscente creditores adeo intermedios, qui nec pacto sibi vigilauerint, nec iure offerendi ipsi vni sint. Adcedit, quod ex tempore conventionis, qua chirographarius aut extraneus eamdem rem a debitore sibi obligari pactus est, ipse in creditorum pignoratitorum numero esse coepit; quod tamen argumentum non valde ad rem pertinet, quia non sufficit, de re oppignoranda conuenisse, sed etiam de loco primi creditoris in se transferendo paciscentem oportet fuisse sollicitum. Ansam vero communi doctrinae praebuisse videtur error, quo ius offerendi, inter pignoratitos creditores receptum eo usque prodesse visum est, *ut absque cessione* locum primi creditoris impertiatur. Quae quum ita sint, non est, *ut chirographarios aut extraneos* a iure offerendi primum excludamus, et deinde ad simile plane beneficium admittamus: dummodo adcurate obseruemus, quibus in causis talium creditorum conditio deterior sit iuribus pignoratitorum offerentium. Sane a pignoratitorum successione eatenus differt creditorum chirographariorum aut plane extraneorum be-

D

ne-

neficium, quod his opus sit aut consensu creditoris, in cuius locum succedere cupiunt, aut facto debitoris: quum neutrum, ut supra vidimus, exigatur ad ius offerendi, 'creditoribus hypothecariis indulatum. Sed haec iam plenius sunt explicanda, missa tamen prima successionis causa, quae ad nostrum consilium non pertinet. Quodsi ergo aut creditor chirographarius, qui iam antea eidem debitori crediderat, aut extraneus, qui nondum cum eo contraxerat, locum creditoris pignoratitii, inuitu hoc ipso, subire cupit: necesse est, *primum*, ut paciscatur cum debitore de eadem re, quae priori obligata esset, sibi oppignoranda; *deinde*, ut conueniat de creditore, pecunia chirographaria aut extranei dimittendo; *denique*, ut creditor, in cuius locum alter est successurus, eiusdem pecunia etiam re vera dimittatur. Plane enim ad stipulam sententiae Gabr. Mudaei \textcircled{v} et Bachouii \textcircled{x} , qui negant pacto praeterea adiici debere, ut, qui soluit, in primi creditoris locum succedat, quippe quod ipsum inter pacientes actum esse intelligitur, postquam et pignus contractum, et, ut creditor primus illa pecunia dimitteretur, conuentum est. Pactum vero de pignore constituendo abesse numquam potest, licet de successione in locum primi creditoris cum debitore conuenerit; siquidem ex pacto de succedendo non infertur obligatio pignoris, sed per priorem pacti partem creditor nouus consequitur ius pignoris, per posteriorem solummodo priuilegium temporis, quo primus vsus fuerat. Quam conuentio-
nis de re pignori obliganda necessitatem in successione creditoris noui,

\textcircled{v}) Mudaeus *ad tit. D. de Pignor.*
 \textcircled{x}) Hypoth. p. m. 363.

\textcircled{x}) Bachouius *de Pign. et hypoth.*
l. l. c. 15. §. 2. et 3. p. 341 \textcircled{y} .

noui, cum debitore paciscentis, Pauli^y) et Marciani^{z)} testimonia expresse confirmant. Atque hoc sensu recriplerunt Imp. Seuerus et Antoninus^{a)}: non omnino succedunt in locum hypothecarii creditoris hi, quorum pecunia ad creditorem transit. Hoc enim tunc obseruat^{b)}, quum is, qui pecuniam postea dat, sub hoc pacto credit, ut idem pignus ei obligetur, et in locum eius succedat. Quod quum in persona tua factum non sit (iudicatum est enim, te pignora non adcepisse) frustra putas tibi auxilio opus esse constitutionis nostrae ad eam rem pertinentis. Quae lex singula continet, quibus opus est soluturo pro debitore, ut in locum pignoratitii creditoris succedat. Reflexisse autem procul dubio videntur Imperatores ad constitutionem illam supra iam laudatam^{b)}, qua ius offerendi, secundis creditoribus pignoratitii indulsum, adcuratissime definiuerante. Quod igitur non omnino succedat in locum creditoris pignoratitii is, cuius pecunia ad creditorem transit, id, praecclare obseruante Bachouio^{d)}, summam habet rationem, quoniam quiuis pro debitore creditori eius soluere potest^{e)}, nullam vero aduersus creditorem alienum actionem superesse eo, quod ei debitam quantitatatem offerens ius obligationis in se transferri desideret, expressa lege^{f)} cautum est. Quodsi vero debitor in eum, qui pecuniam dimittendi creditoris pignora-

D 2

titii

^{y)} L. 3. D. Quae res pign. c) v. Westphal. I. L. c. 7. §. 172.

^{z)} L. 12. §. 8. D. Qui posterior, is pign. v. v. 190. p. 261. d) Bachouius Narr. ad Trient.

pign. a) L. 1. C. de His, qui in prior. tredit. e) L. 23. c. 53. D. de Soluz.

b) L. 1. C. Qui posterior, in pign. f) L. 5. C. eod. cf. L. 21. C. de Pignor, et hypoth.

titii causa numerauit, tum pignus, tum vero etiam locum primi creditoris pacto transtulit: omnino succedit nouissimus creditor, dummodo pecunia eum in usum a debitore sit conuersa, in quem fuerat credita. Quae pactio, sicut recte obseruauit Connanus ^{g)}, quatenus ad locum creditoris dimittendi pertinet, ne ipsis quidem hypothecariis posterioribus remittitur, quum debitori, non creditori, soluunt. Soluere enim debitori, ut creditor dimittatur, non est creditori offerre; sed efficere debet creditor hypothecarius posterior, ut pecunia, debitori sub lege succedendi in locum primum credita, ad creditorem dimittendum etiam vere perueniat. ^{h)} Vnde simul intelligitur, quale sit illud fisci priuilegium ^{h)}, cuius in superiori capite meminimus, quodque in eo potissimum versatur, ut quilibet fisco soluens, licet nec de pignore, nec de priuilegiis fisci in se transferendis, cum debitore pactus fuerit, tamen in omnia fisci iura, interueniente iudice, succedat. Quemadmodum vero ex oblatione ipsis creditori facta sequitur necessitas cessionis, qua creditor, antequam plane dimittatur, ius suum in offerentem, quamvis coactus, transferat: ita multo magis eam oportet adcedere eiusmodi negotio, quod inter creditorem nouum, nullo antea pignoris iure usum, et debitorem contrahitur, aut certe iudicis auctoritate pignus transscribi, dummodo teneamus, cessionem ipsam ex necessitate fieri, et ab ea, quae sponte praestetur, toto coelo distare. Atque ita res geritur, si omnia, quae diximus, in negotio, inter

cre-

^{g)} Connanus l. l. p. 386.^{h)} L. 3. et L. vlt. C. de Priuileg. credit. loc. succ. L. II. C. de Fidei fisci. L. 2. C. de His, qui in prior. iussi cf. Cuiacius Lib. XVIII. Off. c. 40.

creditorem successorum et debitorem celebrato, rite sunt obseruata. Sin autem pecunia creditoris noui, sive chirographarius sit, sive extraneus, absque debitoris pacto ad creditorem priorem transferit: ex mente Imperatorum non omnino succeditur a creditore, qui pecuniam numerauit: hoc est, ut Cuiacius ⁱ⁾ et Noodtius ^{k)} recte animaduenterunt, succeditur non quidem in ius aut locum pignoris, sed tamen in actionem Paulianam, quam instituere potuisset creditor dimissus ^{l)}; et in priuilegia personalia, quae idem habuit ^{m)}. At vero ne sic quidem succeditur tunc; quum conuenit quidem tam de pignore, quam de loci priuilegio transferendo, pecunia autem ad creditorem dimittendum non transfit; nisi cerebri aequitate, a Busio ⁿ⁾, Accursum sequuto, merito explosa, succurrere velimus ei, qui debitori pecuniam numerauit, ut primum dimitteret.

Practer hypothecarios et chirographarios credidores, nec non extraneos credituros, etiam fideiussoribus, pro debitore soluturis, beneficium nostrum competere, Imperatores iidem, quos saepe laudauimus, rescriperunt ^{o)}. Quod antiquo iure eo magis necessarium fuit, quum nondum datum esset fideiussoribus, qui pro debitorum

D 3

bitore

ⁱ⁾ Cuiacius *ad d. L. 1. C. de His, qui in prior. credit. p 87.*

^{m)} L. 24. §. vls. D. de Reb.

^{k)} Noodtius *Comm. ad D. l. l. p. 350.*

^{auctor. iud. poss. L. 2. D. de Cef-}

^{h) Noodtius Comm. ad D. l. l. p. 350.}

^{sione bon.}

^{l)} L. 10. §. 1. L. 16. D. *Quae in fraud. credit.*

ⁿ⁾ Busius *L. l. p. 27.*

^{o)} L. 2. C. de Fideiuss. cf. L.

14. C. eod.

bitore pignoratitio intercessissent, excusonis beneficium^{p)}, quo Iustinianis^{q)}. tandem ita iis prospexit, ut primum pignora, et his deum frusta in iudicium deductis, fideiussores iure novo conueiri debeat. Aequali vero iure cum creditoribus pignoratitiis, debitum offerentibus, fruuntur fideiussores, pro debitore soluere parati, quatenus et ipsi sine debitoris facto, in locum prioris creditoris, quem sua pecunia dimissuri sunt, succedunt. Quemadmodum igitur, aucto-^rre Julianor^{s)}, fideiussori solidum soluturo stipulatoe compellitur vendere ceterorum nomina: ita legibus expressis, quas compenemo-^rauimus^{t)}, cautum est, creditorem, cui fideiussor in eam pecuniam, in quam simul pignora adcepisset, satisfacere paratus sit, hoc ipsum pignorum ius transferre in fideiussorem debere, nec quidquam interesse, vtrum fiscus sit creditor, an priuatus. Neque magis resert, sicut Crisius^{z)} recte obseruavit, vtrum fideiussor a creditore conveniat, an ipse agat contra debitorem reliquosue fideiussores, dummodo cessio fiat ante solutionem, quia post eam creditori nihil iuris supereft in pignore, quod transferre possit. Sed quum in alia quoque caufa creditor eadem pignora vel hypothecas habet obligatas, ex rescripto^{v)}, quod adulimas, non prius compellendus est transferre pignora, quam omne debitum a fideiussore exfoluantur: quod in hypothecario offerente plane fecus esse, infra adparebit.

§. 4.

^{p)} L. 51. §. 3. D. & L. 17.
C. cod.

^{q)} Nou. III. c. 1. 20.

^{r)} L. 17. D. cod.

^{s)} d. L. 2. & L. 14. C. de Fi-
deiuss.

^{t)} Crisius l. 1. c. 10. §. 1.

^{u)} p. 68.

^{v)} d. L. 2. C. ab eo than.

etiammodo res ipsa temp. dicitur. etiammodo etiam modis diversis

Quod creditoribus, quibus res debitoris nullo vinculo antea obligata fuerat; et fideiussoribus vindicauimus offerendi ius, multo magis competit emtoribus rei oppignoratae, hoc effectu, ut in locum creditorum pignoratiorum priorum, ad quos eorum pecunia peruenit, succedant, et contra reliquos, qui inferiores illis fuerunt, iusta defensione se tueri possint ^{a)}). Quae quidem emtorum facultas, eatenus sapit naturam iuri offerendi, quatenus et successionem tribuit in locum prioris, et inferioris ordinis creditores a iure agendi contra emtorem repellit; neque enim de vera oblatione amplius quaeritur, quum pecunia ad primum creditorem iam peruenit. Loquimur autem de emtore, qui a debitore rem aliis obligatam comparavit, quique, dum eius pecunia prior creditor est dimissus, ipsum pignoris ius emisse videtur, vt belle animaduertit Connanus ^{y).} Iam, quid in eiusmodi emtore exigatur, ut locum prioris creditoris aduersus inferiores tueri possit, varie disputant viri docti. Mudeaus ^{z)} enim et Io. Iensius ^{a)} non id solum desiderant, ut pecunia ad creditorem vere peruenierit, sed etiam pacto opus esse censem entori, quo conuentum sit cum debitore, tamquam venditore, ut prior creditor dimitteretur. Connanus ^{b)} vero et Bachouius ^{c)} id sufficere putant, ut possessio tradita sit, et pretium ad creditorem perue-

^{x)} L. 3. C. de His, qui in prior. a) Iensius Stricturar. iur. Rom.

L. 17. D. Qui prior. in pign. p. m. 509. sqq.

cf. L. 3. §. 1. D. de Discract. pign.

b) Connanus l. l. p. 387.

c) Bachouius l. l. de pignor. ex Hypoth. Lib. IIII. c. 16.

y) Connanus l. l. p. 386.

z) Mudeaus l. l. p. 363.



peruenerit, licet nulla pactio praecesserit; quae sententia omnino verior videtur, in primis quia iam soli possessori, ut statim videbimus, locus creditoris, cui debitum soluit, conceditur. De qua emtoris successione plura essent dicenda, nisi omnia exhausisset diligentia Connani et Bachotii, quorum scrinia nolumus expilare. Illud igitur monuisse satis est, quod vbiuis monuimus, nec hanc successionem sine cessionis, aut, quod in emtore, cuius pecunia iam transiit, verius est, iudicis adminiculo posse exerceri.

§. 5.

Vltimo loco de possesso rei obligatae quaeritur, quatenus iure offerendi creditoribus pignoratiis id, pro quo res est supposita, gaudeat. Gaudere vero, manifeste probat Paulus^{d)}, addita simul ratione: *neque enim debet quaeri de iure possessoris, quum ius pectoris remoueat soluto pignore.* Quae causa, a Marcianno^{e)} confirmata et a Connano^{f)} vberius exposita, iam idonea foret ad decidendam quaestione, ab omnibus fere iuris ciuilis interpretibus agitatam: vtrum iusto dumtaxat, an etiam iniusto possessori offerendi facultas concedenda sit; praesertim, quum ipse Paulus *qualitercumque possessoris* mentionem fecerit: nisi obstatre videretur auctoritas Scaeoulae^{g)}, iusto tantum possessori ius illud tribuentis. Sed dudum inter doctissimos artis nostrae auctores, e quibus sufficit no-

^{d)} L. 12. §. 1. Quib. mod. pign. vel hypoth. solu. cf. L. 7. §. 12. D. Comm. diuid.

^{f)} Connanus l. l. p. 385. sq. ^{g)} L. 19. D. Qui posterior. in pign.

^{e)} L. 16. §. 3. D. de Pignor.

minare Cuiacum *b*), Connatum *i*), Busium *k*), Sandium *l*), Crucium *m*) et Mattheum *n*), conuenit, eam esse differentiam iusti et iniusti possessoris, vt ille potestatem habeat offerendi debiti, condigne creditorem, vt adcipiat et actiones cedat, sicut respondebit Scaeula; quod non licet ei, qui improbe possidet. Qui potest quidem, si ab eo petatur, creditorem agentem repellere, dummodo paratus sit, quod huic debetur, persoluere, minime vero pignoris cessionem vrgere, nec in inferiores creditores ius aliud, quam quod aduersus priorem agentem habuerat, exercere. Habet igitur, vt Connani verbis vtamur, offerendi facultatem iustus possessor, solvendi autem, si ab eo petatur, remque fibi retinendi et iam iniustus. Neutrum vero debitoris consenuit egere ad duplificem illam facultatem consequendam, res ipsa docet.

CAPVIT

- b) Cuiacius *Lib. XI. Off.* c. 35.
 i) Connamus *l. l.* p. 386.
 k) Iusius *Comm. ad d. L. 19. D.*
 p. 36 *sy.*

l) a Sande *l. l. c. 6. §. 64. p. 24.*
 m) Crusius *l. l. c. 9. §. 9. p. 66.*
 n) Matthaeus *l. l. de auction. Lib. I.*
 c. 19. §. 93. p. 262.

CAPVT III.

De his, aduersus quos ius offerendi competit.

§. I.

Enumeratis iis, qui offerendi facultate uti possunt, sequitur, vt etiam, contra quos beneficium hoc obtineat, disquiramus. Regula autem generalis, quae ex ipsa iuris offerendi notione, ab initio definita fluit, haec est: *ius offerendi posse exerceri aduersus quemlibet creditorem hypothecarium priorem, aut eum, qui loco eiusdem effe coepit.* Ita optime evitantur difficultates, quae ex iuris nostris cum actione hypothecaria contra pignoris possessorem instituenda conflictu nascuntur. Quod ad ipsos creditores pignoratios adtinet, aduersus quos offerendi potestas competit, hoc solum exigitur, vt eadem res iis sit obligata, siquidem eo dumtaxat sensu creditores priores et posteriores in iure nostro occurrent. Pignoris autem vinculum qualcumque esse potest, sicut et esse poterat a parte creditorum offerentium. Vnde non distinguimus, vtrum is, cui offertur, pignus possideat, an secus. Certe eiusmodi speciem, in qua possidens obtulit non possidenti, disertis verbis Caius a) exhibet, vt Westphalius b) adcurate docuit. Ac quemadmodum nihil referebat, an offerens creditor gauderet pignore publico, an priuato, expresso, an tacito, generali, an speciali: ita nec interest quidquam, quali pignore fruatur is, cui succeditur, dummodo, quod similiter obseruandum erat circa succedentis creditoris pignus,

ff

a) L. II. §. vlt. D. Qui postor.
in pign.

b) Westphalius l. II. c. 7. §. 175.
nos. 193. p. 265.

si priori duplex constituta esset hypotheca, altera generalis, altera specialis in re diuersa a pignore offerentis, creditor antiquior specialem suam hypothecam prius persequutus fuerit, quoniam, antequam hoc factum sit, generalis hypotheca nullam habet utilitatem, ideoque offerri nequit a secundo, qui diuersam plane rem pignori habet, donec, excussa hypotheca speciali, ad generalem peruentum sit c). Ceterum nec conditions pacto cum creditore primo inito adiectae, v. c. ne huic potestas esset vendendi pignoris, impeditre possunt creditorem secundum, quo minus debitam quantitatem offerat, siquidem pignus, soluto debito, reddere non est vendere, ideoque ne creditor quidem submotus contra legem conuentionis fecit, dum pignus in alterum transferri pateretur; alter vero offerens in easdem conditiones, quas dimissus creditor adgnouerat, consensisse videtur. Rem enim et in hac successionis specie transire cum onere, aequum est.

§. 2.

Quod de omnibus creditoribus hypothecariis vniuerse diximus, facile applicari potest ad singula eorum exempla. Sic, vt his tribus adquiescamus, recte offertur fisco d), reipublicae e) et mulieri, dotis creditrici f), modo matrimonium, in quo dos data est, iam solutum sit, quia constante eo dos nec reddi g), nec re-

E 2

peti

c) a. L. 2. D. cod. cf. Ringius
l. l. c. 2. §. 4.

e) L. 4. C. cod.

d) L. 2. C. de His, qui in prior.
creditor.

f) L. 10. C. Qui posterior. in pigg.

g) L. vn. C. Si dos constante ma-
trim. sol.

peti sine iusta cauſa^{b)} potest. Qualis quum tunc in primis obtineat, si maritus ad inopiam sit deductus, ſolent doctores plerumque quaerere, num hanc certe ob cauſam vel conſante matrimonio dos mulieri a creditoribus offerri poſſit? Argumenta adfirman-
tium et negantium ſingula diligenter recenſuit Crufiusⁱ⁾, cuius ſcri-
nia nolumus expilare. Ipſe cum vulgo interpretum et Ant. Fa-
bro^{k)} atque Andr. Gaillio^{l)} a negantium partibus ſtetit, aliis con-
tra, ut Andr. Fachinaeo^{m)}, Io. Jac. Wiffenbachioⁿ⁾, Ringio^{o)} et
Birknero^{p)}, adfirmantem ſententiam tuerintur; quorum rationib-
us et nos calculum adiicere non dubitamus, moti potiſſimum
auctoritate Iuſtiniani^{q)}, uxori hoc in caſu eadem plane iura, quae
ſoluto matrimonio habitura fuiffet, conſante eo tribuentis. Vnde
aequum eſt, et ceteris creditoribus aduersus mulierem, dummodo
haec bona mariti inopis, ſibi pro dote oppignorata, perlequi actione
ne hypothecaria iam cooperit, conſante matrimonio idem licere,
quod post eius diſſolutionem ipſis licuifet.

ſ. 3:

Non ſolum autem aduersus ipſos hypothecarios, ſed etiam
contra eos, qui loco hypothecariorum ſunt, creditores posteriores
offerentur.

^{b)} L. 20. L. 24. pr. D. Solus.
marim. L. 73. §. 1. D. de Iure dot.
L. 29. C. cod.

^{m)} Fachinaeus Lib. III. Contrō-
verſiar. iur. c. vlt.

ⁱ⁾ Crufius 4. l. c. 7. p. 51. ſqq.

ⁿ⁾ Wiffenbachius Disput. ad D.
num XXXXVIII. tb. 1. §. 16. p. m.
496.

^{k)} Faber Lib. V. Codic. defini-
forenſis. tit. 7. def. 2.

^{o)} Ringius l. l. c. 21. §. 7--9.
^{p)} Birknerus l. l. §. 4. l. b.

^{l)} Gailius Lib. II. Obſſ. c. 92.

^{q)} 4. L. 29. C. de Iure dot.

37

offerendi potestatem exercere possunt. In qua specie distinguenda est conditio eius, qui caussam possessionis habet a *creditorum* aliquo, ab obligatione possessoris, qui a *debitore* rem comparauit. Qui a *creditore* caussam possessionis habet, eam aut a *priore*, aut a *posteriori* creditore adcepit. Quumque posterioris nullum ius sit in pignore, donec prior plane sit dimissus, patet, contra huiusmodi emtorem, in quem posterior creditor ius suum transtulerit, non opus esse oblatione, sed statim institui posse actionem hypothecariam, iuris, quod priori facto secundi auferri non poterat, conseruandi gratia. In prioris autem arbitrio sane est, pignus vendendo in aliud transferre: hoc effectu, ut contra nouum possessorum ius offerendi modo locum habeat, modo secus. Quem in finem Connatus ^{r)} distinguit venditionem iure crediti, et iure conventionis factam. Illam adpellat, quae propter moram debitoris, etiam pacto non interueniente, celebrata sit; hanc, quam creditor contraxerit, quod in constituendo pignore ita conuentum esset, ut liceret vendere. Ex illa negat dominium transire in emtorem, quoniam creditor nihil aliud, quam ius suum cedat; ex hac contra censet emtorem fieri dominum, ita, ut venditae rei recuperandae nulla relinquatur facultas aut ipsi debitori, aut aliis eius creditoribus. Illam igitur colligit prodeesse reliquis creditoribus ad ius offerendi erga emtorem exercendum; hanc fecus, nisi res vendita sit reliquis creditoribus aut fideiussoribus. Faber ^{s)} vero vrget discri-
men venditionis, quae fiat a creditore iure suo, ab ea, quae fiat

E 3.

aucto-

^{r)} Connatus I. I. §. 3. p. 387.

^{s)} Faber de Errorib. Pragmat. Doc. I. err. 5.

auctoritate iudicis, postulante tamen creditore. Priori casu emtorem reddi ait securum, ut nec ab aliis creditoribus inferioribus depelli possit; posteriori casu vult creditoribus secundis competere ius offerendi aduersus emtorem etiam extraneum, quod emtor non a creditore, sed a debitore ipso caussam habere intelligatur. Neutra distingundi ratio nobis placet, quia utraque pugnat cum claris legum testimonii ϵ), e quibus efficitur, per quamlibet venditionem, siue iudicis auctoritate, siue priuatim, siue ex conventione, siue citra eamdem factam, dummodo a creditore primo, adhibitis follemnitatibus lege definitis, celebrata sit, transferri dominium, nulli reuocationi obnoxium, in emtorem, nisi hic sit creditor secundus v), aut fideiussor eiusdem debitoris α), cuius pignus est venditum; utpote qui non dominii quaerendi, sed iuris sui confirmandi caussa pignus emissae sententur. Itaque aduersus hos offerendi ius saluum est ceteris creditoribus, non aequae aduersus emtorem extraneum, qui non aliter, quam animo dominii consequendi rem videtur comparasse. Atque haec quidem, si quis caussam habet a creditore. Quodsi vero debitor pignus vendidit, semper ius offerendi competit creditoribus pignoratiis, siue si pignus priori in folatum dederit y), siue creditori posteriori, aut fideiussori β) L. 3. D. de Distract. pign. γ) L. 5. §. I. L. 6. D. de Distract. L. 18. C. cod L. 4. D. de Pignorat. pign. δ) L. 2. L. 5. §. I. D. de Distract. act. L. 12. §. 7. D. Qui posterior. ϵ) L. 2. L. 5. §. I. D. de Distract. in pign. cf. Westphalius l. l. pign. cf. L. 59. D. de Fideiuss. c. 7. §. 178. note 197. p. 271. ζ) L. 1. C. Si ausiqui credit.

fao; aut extraneo vendiderit z), dummodo horum pecunia ad creditorem primum vere peruenit. Nam sic demum emtores huiusmodi in locum prizzi intrasse censentur; quum, si nihil ad primum transferit, non oblatione opus sit creditoribus secundis ad hos depellendos, sed statim res ipsa, actione hypothecaria instituta, ab iis vindicari possit. Ratio autem, cur non idem iuris sit, si debitor vendiderit, quod in venditionibus a creditore factis obtinet, haec est, quia, quum debitor vendit, non potest non cum onere vendere, quod est, ut res sit omnibus creditoribus obligata. Itaque nihil refert, vtrum debitor rem priori obligatam alii denou obligauerit, an vendiderit, si modo pecunia peruenit ad priorem a). Atque eodem modo rem expedient Graeci b), quos proinde iniuria reprehendit Cuiacius c), quasi Papiniani fragmentum d) de venditione pignoris a *creditore* facta adceperint, quum tamen et ipsi expressis verbis *debitorem* vendentem inducant.

z) d. L. 1. C. L. 3. §. 1. L. 5.
§. 1. D. de Distractr. pign.

b) Basil. Lib. XXV. tit. 7. §. 3.
Tom. IIII. p. 71. cf. Harmenopulus.

Lib. III. Manual. LL. tit. 5. §. 48.
in Suppl. Thes. Meerm. p. 192.

c) Cuiacius l. l. p. 87. sq.
d) d. L. 3. D. de Distr. pign.

a) d. L. 3. §. 1. cf. Cuiacius Comm.
ad tit. C. de His; qui in prior. cred.
p. 87. Conmannus l. l. §. 5. p. 388.

De modo, quo ius offerandi exercendum est.

§. I.

Quomodo vero his creditoribus sit offerendum, ut in eorum locum succedi possit, eatenus modo demonstrabimus, quatenus haec oblationis species habet quaedam singularia; siquidem, quae omnibus solutionibus communia sunt, etiam in hoc genere observantur. Vnde, ut oblatio fiat iusto tempore et loco, ut integrum debitum cum vsuris offeratur, ut creditor oblatam pecuniam sine iusta causa adipicere detrectet, ut denique, si idem diutius moram nectat, ipsa pecunia obsignata in iudicio deponatur, in nostra quoque specie exigitur. Ad temporis obseruationem pertinet quaestio, a Ringio a) verissime decisa: an offerri possit creditor, qui cum debitorum pactus sit, ne sibi inuito ante certum tempus offeratur? Quae conditio si placuerit, antequam posterioribus creditoribus obligaretur debitor, omnino seruanda est, quam in fraudem creditorum adiecta dici nequeat; sed si, postquam alias bona sua obligauit, in utilitatem primi creditoris hoc pactum inierit debitor, ipse siquidem sua conuentione stare debet; ceteris autem creditoribus ius dudum quaesitum auferri nequit, siquidem disertis verbis cautum est, debitorum pactionibus creditorum petitionem nec tolli, nec mutari posse b). Alia quaestio subnascitur ex prouocationis auxilio, quo creditor vsus est, ut impediret venditionem pignoris imminen-

a) Ringius l.l.c. 3. §. 4.

b) L. 25. C. de Pact.

minentem. Eo enim interposito posse adhuc offerri, licet venditio propter oblationem rite non factam a iudice primo decreta fuerit, Crusius *c*) et Matthaeus *d*), acuitate adducti, censuerunt. Modum offerendi quod adtinet, sicut itidem ex indeole oblationis communi, creditores priores non aliter posse dimitti, quam soluta pecunia, aut, quae instar solutionis est, obsignatione et depositione legitime facta. An vero res iudicata, qua creditor inferior priorem superauit, eamdem vim habeat, ac cesso et solutio, inter ipsos iurisconsultos veteres non conuenit. Satis prolixo tractauit eam quaestione Paulus *e*), cui docti interpres contigerunt Ant. Dadinus Alteferra *f*) et Westphalius *g*). Qui rei iudicatae eamdem vim, qualem habitura fuisset solutio, tribuerent, configurerunt ad tritam illam iuris regulam, ex qua tertius, qui me potior est, quum ego secundum superaturus sim, multo magis aduersus secundum obtinere debet *h*). Quae quamquam locum habet, ubi eadem est vincendi ratio; minime tamen prodest in diuersa caussa, qualis occurrit in nostro exemplo. Nam in hoc praeualuit alia regula, quae efficit, ut res inter alios iudicata tertio nec noceat, nec proficiat). Vnde Paulus recte negavit

e) Crusius *I. l. c. 5.*, §. 8. p. 43. *g*) Westphalius *I. l. c. 7.*, §. 172.

d) Matthaeus *I. l. Lib. I. c. 12.* *not. 189.* §. 254 *sqq.*

§. 14. p. 147.

f) L. 16. *D.* *Qui potior.* *in tempore praescripti.*

h) L. 14. §. 3. *D. de Diuers. pign.*

f) Alteferra *Recratt. ad D. b. l.* *i)* L. 63. *D. de Re indic.* L. 10. *D. de Except.*

¶

negavit prodesse nouissimo creditorovi, qui primum in iudicio superauerat, rem iudicatam ad locum victi creditoris praे inferioribus obtainendum, siquidem sufficit, ultimum creditorem primo esse potiorem, quod primas solutionem vrget, non aequē, quoad intermedius creditor, cui locus tertio positor per rem inter primum et tertium iudicatam auferri nequit, pignus praे tertio persequitur. Atque diuersa fane est causa creditoris tertii, qui primum pecunia sua dimisit, ut loco primi esset quoad pecuniam huic exsolutam, et eius creditoris, qui contra primum in iudicio obtainuit. Ille enim adgnoscit ius primi potius, et id agit, ut ipse in hoc ius succedat, non quoad suum creditum, sed quoad id, quod primi submouendi causa soluerat. Hic, dum primo ius suo credito potius plane aufert, depulso eo, quoad suum adeo creditum locum primi occupat; quae successio manifestam iniuriam intermedio creditori esset illatura, si etiam contra hunc obtainere posset. Numquam ergo res iudicata habebit vim oblationis, a secundo creditore priori legitime factae.

§. 2.

Hlud autem potissimum queritur; *quid* creditor, in primi locum successurus, offerre eidem debeat? Iam sortem integrum cum accessionibus et vfris esse offerendam, ex-indole solutionis et expressis legum testimoniis^{k)} patet. Quamdui enim ad plenam solutionem aliquid deest, indiuidea pignoris natura efficit, ut ipsum pignus

^{k)} L. 8. §. viii. L. 9. §. 3. L. L. 22. C. de Pignor.
J. I. §. 3. D. de Pignorat. acr.

pignus recte distrahat), ac proinde offerens creditor omni oblationis emolumento destituatur. Debet autem, ut Aug. Leyserus ^{m)} recte obseruauit, sors vel tunc integra restitui, quin id, quod debetur, veram rei aestimationem longe excedit: quemadmodum e contrario, si quantitas debiti aut solutione particulari, aut pacto, aut fructibus, a creditore priore fortis et usurarum nomine perceptis, minuta est, sufficit, id, quod supereft, offerri ⁿ⁾. Minime vero necesse est, ut posterior creditor primo simul exsoluat ea, quae eidem non primo loco, sed post alios debentur ^{o)}. Quod in primis confirmatur exemplo debiti chirographarii, ad retinendum pignus pro alio debito obligatum, ut constat, efficacisp). Quamquam enim creditor aduersus debitorem hoc iure vtitur, ut, soluto nomine, ob quod pignus datum fuerat, si quid ex alia caufa idem ipfi debeat, pignus tam diu retinere possit, donec et chirographiae obligationi sit satisfactum: tamen contra credidores secundos, debitam quantitatatem offerentes, id ius exerceri non posse, ideim, qui illud debitorum caufa introduxerat, Imperator rescripsit, his verbis vſus: *quod in secundo creditore locum non habet: neque enim necessitas ei impónitur, chirographarium etiam debitum priori creditori offerre.* Quod an praeter credidores pignoratios aliis quoque oblaturis, v. c. possessoribus rei obligatae, aut extraneis,

F 2

qui

I) L. 6. C. de Diffractione pign.

n) v. Crisius l.l. c. 6. §. 5.

p. 42.

m) a Leyser Meditatt. ad D. Sp. 231. m. 8. Vol. IIII. p. m. 775. f.

o) a. I. 20. D. Qui posterior, in

pign. cf. Leyser l.l. m. 9. ibid.

p) L. vn. C. Etiam ob chiro-

graph. pecun. pign. ten. possit.

qui plane nondum fuerant in numero creditorum indultum sit, ut nec hi necesse habeant, omne debitum offerre creditori pignoratio, sed solum id, pro quo res primo loco obligata fuerat, cum Crusio ²⁾ et Ringio ²⁾ recte dubitamus. Certe de fideiussoribus clare rescriperunt Seuerus et Antoninus AA. ²⁾, eos non posse prius postulare, ut pignora in se transfrerantur, quam omne debitum exsoluerint; si creditor in alia quoque causa eadem pignora vel hypothecas habuerit obligatas. Atque haec quidem de forte: superest, ut de adcessionibus et usuris, creditori priori itidem restituendis a creditore posteriore oblaturo, aliquid addiciamus. In quo argumento sequimur omnino Ad. Diet. Weberum, Virum Illustrum ²⁾, qui, nisi aliud quid in pignore constitudo cautum fuerit, reddendas esse ait a creditore secundo, qui primo offerat, praeter fortē 1) impensas necessarias et utiles, in pignus factas, 2) usuras et sumptus litis, quatenus iis mora debitoris causam dederit, 3) usuras promissas, et poenas, de quibus conuenerit, dummodo haec conuentio eodem, quo pignus constitutum est, tempore inita fuerit; minime vero usuras aut alias multetas, quas demum post pignus datum debitor promiserit, nisi vel ad has pignoris obligatio expresse sit prolata. Quod quidem usurarum discrimen ipsi Impp. Seuerus et Antoninus peculiarari constitutione ²⁾ adgnouerunt,

2) Crusius I. l. c. 5. p. 30. sqq.

2) Weberus in libello, vernacula

scripto: Beyräge zu der Lebre vom

stillschweigenden Conventional Pfand-

recht, p. 144. sq.

2) Ringius I. l. c. 3. §. 3.

2) L. 4. C. de Vfur.

2) L. 2. C. de Fideiuss.

CAP. VI.

CAPUT VI.

Ds vi et efficacia iuris offerendi.

Ex his, quae Cap. II. de caussis introductae facultatis offerendi diximus, satis putamus constare de utilitate, quam exercitium eiusdem iuris creditorri potissimum offerenti adserit. Praecipua vero beneficii nostri vis in eo posita est, ut ius secundi creditoris confirmetur per successionem in locum primi: cuius pignus tenetur secundo non solum in fortem, sed etiam in usuras, tam suas, quam eas, quas primo creditori soluit a). Sed tamen, ut ait Marcianus b), Papinianum sequutus, usurarum, quas primo creditori soluit, usuras ipse non consequitur: *non enim negotium alterius gestit, sed magis suum*: h. e. non comparandus est cum eo, qui aut ex mandato debitoris, aut in veram eiusdem utilitatem sine mandato difficiliorum aliquem creditorem sua pecunia dimisit, utpote qui et fortem, et usuras solutas, et solutarum adeo usurarum usuras repetere potest c); sed magis in suam utilitatem, siue iuris confirmandi caussa creditori alieno videtur obtrusisse; quam rationem elegante Phaedri d) fabula Noodtius e) ornauit. Succedit autem creditor inferior in locum prioris quoad id dumtaxat debitum, quod dimissus creditor exigere poterat; non aequa quoad suum nomen,

F 3

pro

a) L. 12. §. 6. D. Qui postor. §. 1. D. de Conir. zut. et utile
in pign. L. 22. C. de Pign.

b) d. L. 12. §. 6.

c) L. 37. D. de Usur. L. 12. §. 9. D. Mandati v. contra. L. 3. et usurris c. II, Opp. T. I. p. 190.

d) Phaedrus Lib. I. fab. 22.

e) Noodtius Lib. II. de foenore

pro quo ipsi pignus pridem obligatum fuerat f). Quod ea in primis de caussa tenendum est, ne creditoribus intermediis, a quarto forsan aut tertio creditore, priori offerente, superatis iniuriam inferri existimemus. Hi enim manent suo loco, semperque potiores sunt nouissimo creditore, suam sortem, quam ipse ultimo loco considerat, persequente.

§. 2.

Ipsa vero successionis, qua offerens creditor ius suum confirmare dicitur g), commoda in eo verfantur, vt offerens distrahendi pignoris facultatem consequatur, qua prius fuerat destitutus, vt distractionem pignoris, quam prior creditor antea intenderat, impedit posset, vt pactorum, in dimissi creditoris securitatem adiectorum utilitatem in se deriuat, vt generalem hypothecam, qua prior creditor in summum sequentium creditorum detrimentum vti poterat, excludat, vtque quoad chirographarium debitum, quo idem debitor ei obstrictus fuerat, pignus retinere possit. Quae duo posteriora beneficia nostri commoda sola egent explicatione, quum priera singula occasione caussarum, quae iuri offerendi locum fecisse videntur, sint illustrata. Ea igitur pignoris generalis, priore loco constituti, est indoles, vt superet quodus speciale, tempore posteriorius, quamvis creditor ex ceteris bonis, quae inferioribus non sunt obligata, pecuniam suam redigere possit b). Quod juris

f) L. 16. D. Qui posterior in II. P. I. p. 392.
pign. cf. Pet. Costalius *Aduersari.*
ad D. l. l. p. m. 535. sq. Hof-
acker l. l. §. 1217. nec. e. Tum.

g) L. 1. C. Qui posterior in pign.
h) L. 2. D. cod.

iuris Romani institutum, a Cypr. Regnero ab Oosterga*ij*, Costalio*k*) et Io. Schiltero*l*) iniuritatis adcausatum, sed ab Hubero*m*) ut eumque defensum, hanc certe habet excusationem, vt secundo creditori licet, oblata pecunia, pro qua pignus vniuersale esset constitutum, priorem impedire, quo minus bona debitoris, secundo; eidemque speciali pignori obnoxia, sola forsan vexandi creditoris posterioris libidine adductus, inuadat. Quod autem ultimo loco ex offerendi iure deriuauimus commodum, eo spectat, vt creditor secundus, cui idem debitor alias quoque ex cauiss, sed citra pignoris nexum, debet, retinere possit pignus, donec vel haec nominantur dissoluta*n*): quod ipsum in eius arbitrio non erat, quamdiu primus pignori incumberet. De qua iuris offerendi utilitate quamplura dixerit Birknerus*o*), allegato ad hunc lectore illud modo adiiciendum est, non posse creditorem id, quod obtulit, actione personali a debitore repetere, nisi ex voluntate eiusdem facta sit oblatio*p*).

- i) Regenerus *Disput. 31. ad D.*
 §. 7. n) *L. vn. C. Etiam ob chirographis,
 pecuniam pignus teneri posse.*
 k) Costalius *I. l. ad b. l. p. 530.*
 l) Schilterus *Prax. Iur. Rom. Ex. 33. §. 32. Tom. II p. m. 306.*
 m) Huberus *Eunom. Rom. ad b. l. p. 738. s4.*
- o) Birknerus *I. l. §. 7 p. 31. sqq.
 p) L. 12. §. 6. D. Qui potior, in pign. i. L. 6. §. 9. et 10.
 D. de Negor. gesit. cf. Birknerus
 l. l. §. 8. p. 38.*

CAPUT VII.

De causis, ob quas ius offerendi tollitur.

§. I.

Restat, vt, quibus modis beneficium nostrum expiret, brevissime demonstremus. Ac primum quidem iam supra docuimus, a iure offerendi excludi creditores posteriores, si prior pignus in extraneum emtorem legitima ratione transulerit^a). Nec necesse videtur, vt immuniens pignoris venditio inferioribus creditoribus sit denunciata, ex quo Iustinianus^b) publicas pignorum, priuationem contractorum, proscriptiones plane fustulit; quamquam sententia Westphaliic), publicam pignorum venditionem ad arcendos a iure offerendi ceteros creditores exigentis, aequitatis praefert commendationem, quia eadem ratio, quae efficit, vt debitoribus distractio pignorum a creditore sit indicanda, etiam pro creditoribus inferioribus militat, vt iure suo, alioquin perituro, tempestiuue ut possint.

Deinde et moto creditorum concursu cessare offerendi potestatem, qua posteriores creditores antea gauisi sunt, solide probavit Dau. Meuius^c), siquidem eo pendente omnes creditores aequali iure fruuntur, nec singulorum conditio mutari potest^d). Absoluta

^{a)} L. I. C. Si antiqu. credit.

nos. 196. p. 269. sq.

^{b)} L. 3. pr. C. de Iure domiu.
imper.

^{c)} Meuius P. IIII. Decis. 158.

^{c)} Westphalius 4.1 c.7. §. 177.

^{e)} L. 6. §.7. D. Quae in fraud.

luta vero lite, postquam ordo creditorum sententia constitutus est, recte deuenitur ad distractionem f), aut si bona debitoris emterem non inuenerint, ad adjudicationem g), quae sit praevia aestimatione, vt priori secundum quantitatein crediti res addicatur, reliquum posteriori seruetur. Quare facta adjudicatione cuique dominium pro rata cedit, et res communis sit eorum, quibus addicitur. Quamquam vero post adjudicationem reuiniscit reliquorum creditorum ius offerendi, siquidem ea habet vim rei in solutum datae creditoru a debitore, quo facto pignus secundi non perimi, supra vidimus: tamen necessiter non habent eo uti; sed, si malint, relichto, quantum satis est, primo creditori, vt reliquum sibi addicatur, impetrare possunt; et tunc peruenitur ad remedia, quae pro communi diuidendo competit b).

§. 3.

Cessare porro ius offerendi post rem iudicatam, qua venditio pignoris decreta est, Gaillius i) et Crusius k), recte pronunciauerunt; siquidem tunc omnino locus est distractioni, nisi, quia nemo emtor exfliterat, res addicta sit creditoribus; quo facto, vt mode vidimus, iure quasi postliminii redit ius offerendi, si posteriores eo uti velint. Denique quemadmodum actioni hypothecariae, nisi aduersus debitorem ipsum instituatur, intra XXX. annorum

spatum

- f) tot. sis. D. et C. de Distract. b) L. 7. §. 12. D. Comm. dñis.
pign. i) Gaillius l.l. Lib. II. c. 18. §.
g) d. E. 3. de Iure domini. im- ult. k) Crusius l. l. c. 15. §. 4. p. 143.

G

ipatium praescribitur: ita et nostrum beneficium longissimi temporis praescriptione extingui, expressa lege. ¹) Iancitum est; quando tamen Crusius ²⁾ cum aliis negavit ad tertium rei posse fore pertinere, quippe qui, exceptione perpetua tutus, ne longissimi quidem spatii lapsu ab offrendi facultate per creditorem pignoratitum excludi possit. ¹⁰⁰ Nobis vero omnia alia videntur, quam, quae creditoribus secundis obstant exceptions, multo magis obesse debeat iis, qui saepe nullo iure rem possident.

Errata.

pag. 15. lin. 13. loco: *Quas* quidem, leg. *Quas* quidem.
— 17. — 7. — *mimine*, leg. *minimt.*
— 19. not. c) — *ani-maduerſſi*, leg. *anim-aduerſſi*.
omn. simp. *anim. incertis*. *fla* *anſi* *anim. incertis* *in* *ubiquiſ*; *anſi*
abomv. *etiam* *qui* *incertis* *in* *ubiquiſ* *etiam* *qui* *certis* *etiam* *certis*
etiam *qui* *incertis* *in* *ubiquiſ* *etiam* *qui* *certis* *etiam* *certis*
etiam *qui* *incertis* *in* *ubiquiſ* *etiam* *qui* *certis* *etiam* *certis*
etiam *qui* *incertis* *in* *ubiquiſ* *etiam* *qui* *certis* *etiam* *certis*
etiam *qui* *incertis* *in* *ubiquiſ* *etiam* *qui* *certis* *etiam* *certis*

FRIDERICO REINOLDO
WILGENROTHIO

CHRIST. GOTTL. HAVBOLD.

*Quamquam vereor, ne meum magis, quam TIVVM, Vir Ami-
cissime, negotium gestisse videar, quod, quum ante aliquod tempus de
specimine academico exhibendo me consuluisse, commendauerim TIBI ar-
gumentum iuris ciuilis, cuius foresem utilitatem ipse peculiari exerci-
tatione inuestigare apud animum constitueram: tamen iam non poenitet
confilii, quod ita exsequutus es, vt, quam dudum de ingenii TVT prae-
stantia, et laudabili discendi studio conceperam, spem nunc quidem
omni ex parte expleueris. Quam ob caussam tacere nullo modo possum,
TVAE diligentiae plurimum deberi in hac ipsa commentatione, tame si pro-
summa TVA modestia placuit TIBI eamdem meae qualicunque censurae
submittere, mutandique et corrigendi potestatem, si qua opus esset, hu-
manissime mihi concedere. Qua si subinde usus sum, certe id magis eo
feci confilio, vt principiis, a quibus projectura esset futura partis fo-
rensis tractatio, responderet haec, qua viam mihi ipse munivisti, e iure
Romano petita praefatio, quam ut TVA TE laude priuarem, aut, quae
TVAE essent meditationis, iniquo carpendi studio resecarem; arbitratus,*

TE

TE non egere pleno huius libelli testimonio, quando in fugulis vitae flui-
diorumque TVORVM partibus ita TE comparasti, ut tam ingenii TVI
bonitatem, quam morum suavitatem et elegantiam omnibus, qui TE no-
runt, probaueris. Quemadmodum autem augor, TE, si ea, qua in-
gressus es, via perrexeris, digna virtutibus TVIS praemia esse conse-
quuturum et de republica praeclare meriturum: ita laudo fortunam
Parentum TVORVM Integerrimorum, qui TE filio unice gaudent, et
vehementer opto, ut curae singularis, quam TVAE institutioni adhibe-
runt, fructibus uberrimis quam diutissime superflites seruentur! Me
vero, ad quem aliquam sollemnitas, quae TVAM eruditioinem prom-
tam expositamque praebitura est doctissimis arbitris, partem pertinere
summo honorifico iudicio voluiisti, TIBI persuasum habe, esse aduersus
TE eo semper animo futurum, ut mihi TE neque cariorem, neque iu-
cundiorem quemquam esse, omnes intelligant. Sic vale, AMICISSIME
WILGENROTH, meque amare perge! Scribeb. in Vnueritate
litterarum Lipsiensi, a. d. II. M. April. A.C. CCCCCLXXXIII.

Leipzig, Diss; 1793

ULB Halle
004 350 43X


3



f

TA-20L

hur Stck. 6. bisher verknüpft



1793, 15.

DE
IVRE OFFERENDI
EX QVO IN
PRIORVM CREDITORVM LOCVM
S V C C E D I T V R

EXERCITATIO IVRIS CIVILIS ROMANI
SCRIPSIT
ET
ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
AVCTORITATE
P R A E S I D E
D. CHRIST. GOTTL. HAVBOLDO
SVPREMAE CVRIAЕ PROVINCIALIS ADSESSORE
ANTIqvITT. IVR. PROF. PVBL. EXTRAORD
A. D. IIII. M. APRILIS A. C. CCCLXXXIII
AD DISPVTANDVM PROPOSVIT
FRIDERICVS REINOLDVS WILGENROTH
LIPSIENSIS

L I P S I A E
E X O F F I C I N A S A A L B A C H I A